



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 4. Satisfit Dubiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

quoque, & alimenta: filia etiam dorem, licet Catholicæ sint. 3. Prædicta bona ipso jure confiscari à die, quo quis in hæresin incidit. c. secundum leges. de hæres. in 6. rei tamen non tenentur ea Fisco offerre ante sententiam Judicis; sed illorum possessionem retinent, usque dum declarentur hæretici esse. 4. Confiscari non tantum bona, sed usumfructum quoque. Item debita, & jura conditionata ex contractu orta, quamvis conditio impleatur post confiscationem. Idem universè dicendum de omnibus bonis, & juribus propriis condemnati, ut excludantur ea, quæ ad alios pertinent. Denique sciendum est, confiscationem bonorum manere integram, quamvis hæreticus resipiscat, & pœnitentiam agat. Conveniens tamen est, ut conversis & emendatis bona relinquatur c. cit. *Vergentis*. Adde, quod hæretico etiam de aliis criminibus accusato non permittitur procurator, vel advocatus. c. statuta 20. de hæres. *Simanca in Enchir. c. 56. Diaz. c. 114.*

§. IV.

Satisfit Dubis de confiscatione bonorum.

DUB. 1. Fiscus, an Ecclesia magis privilegiata sit?

R. sp. in jure æquiparari, adeoque ab uno ad alterum, utile, & forte argumentum sumi. l. fin. c. de Sacros. Eccles. §. finimus. junct. Gloss. in Auth. de non alien. reb. Eccles. & c. Quicquid ergo jun. Gloss. 23. qu. 4. Si ergo contingat decidi aliquid pro Fisco ad Ecclesiam & piam causam, valebit, attentâ rationis identitate, & quod

contrarium in Jure non sit expressum, *Abb. in c. ex literis de pign. Zer. part. 1. V. Fiscus. Eberhard. in loco à Fisco Franc. Luanus in tract. de privileg. Fisci*, qui centum quadraginta illi privilegia tribuit. Animosè magis, quam accuratè.

DUB. 2. An bona prohibita alienari, confiscari liceat? Affirmant aliqui, teste *Julio Claro l. 5. §. fin. quest. 78.* qui nihilominus oppositam sententiam uti communiorem præfert: secundum quam etiam Mediolani judicari solet. Pro ratione sufficere potest favoris præsumptio. Ideo enim potissimè bonorum alienatio legibus, aut moribus prohibetur, ut familiarum opes, & dignitas conservetur: ac nimis durum videtur, unius ob noxiam, aut furias omnes posteros majorum suorum fortunis privari, in fiscum translatâ bonorum possessione. Suos igitur intra limites Fiscus sese continens à rebus sacris, religiosis, dotalibus, & similibus manus absteineat, cum illas nec vendere, ut alias res, nec præscribere liceat, ut diximus *tr. 3. & 13. Cardin. Tschus Conclus. 261. Sylv. & al. Summ. Menoch. Casu 55 num. 4.*

DUB. 3. Titius antè commissum crimen vendidit Cajo bona sua, potestne Fiscus ea capere, postquam Titius deliquit?

Resp. Si animo non doloso facta venditio est, valebit, nec Fisco in ea bona ullum jus relinquatur. Esse communem opinionem testatur *Picus in l. post contractum ff. de donationib.* Si autem de fraude præsumptio sit, valida quidem erit venditio, sed à Fisco revocabitur. Verum quia periculum est ab immodi-

et cupiditate, signa minimè dubia requiruntur ad concludendum de fraude venditoris. *V. Clarum q. 78. nu. 17.* ubi addit, alienationem factam post delictum, sed ante sententiam declaratoriam, similiter valere, nec revocari posse, nisi appareat, contrahentem fuisse participem fraudis. Idem dicendum, si appellatum sit à sententia condemnatoria, nimirum pendente appellatione, si fiat alienatio, valituram, sed facta sententiæ confirmatione irritabitur. *Hypopolitus singulari 314.*

Dub. 4. Tempore confiscationis hæreditas defertur reo, nunquid absolutâ confiscatione jus hæreditatis ad Fiscum pertinet?

Resp. Vel hæreditas delata ejusmodi est, ut ad hæredem extraneum venire possit, vel non. Si ad extraneum deferri potest, ejusdem capax est Fiscus: si verò non potest deferri, nihil ad illam juris Fiscus sibi arrogare potest. Ita communi sensu Doctores loqui. *Iason restatur in l. si quis mihi bona §. servus municipium ff. de acquir. hered. v. l. Clarum quaest. 78. num. 26. Gaill. l. 2. de pace publ. c. 14. n. 4.*

Dub. 5. An Fiscus aliis omnibus creditoribus præferatur?

Resp. Illis creditoribus præferri, qui hypothecam non habent in bonis debitoris. *l. 3. C. de jure Fisci, & ibi Bartol. & Angelus.* Imò pro censu, & tributis tacitè oppignorata sunt Fisco omnia bona debitoris, & cum Fisco contrahentis. *l. 1. C. in quib. causis pignus tacitè contrah.* Nec obest Fisco, si inter debitorem, & creditorem interverit pactum, quod creditor possidens fundum, pignorum

solvere tributum teneatur. *l. inter debitorem ff. de pactis v. Vurmserum l. 2. tt. 21.* qui notat Fiscum non præferri creditoribus expressam hypothecam habentibus, nec privato habenti anteriorem. *Covar. l. 1. Var. c. 16.* monet, lite inter privatum, & Fiscum suborta, possessione sua non posse privari privatum, ut apud Fiscum res, de quâ litigant, sequantur. *Glo. in l. res quæ ff. de jure Fisci l. ult. C. eodem titulo Gaill. l. 2. obs. 86. n. 7.*

Dub. 6. An Fiscus succedat natis ex incestuoso coitu?

Resp. Succedere, quando non habent liberos, exclusis illorum fratribus uterinis & sororibus, quamvis ex legitimo matrimonio procreati sint. *Matthesilan. in tract. de success. ab intest. Angel. Aresin. in §. Vulgò quasitos inst. de success. cogn. Mynsing. Centur. 3. observ. 91.* Addens, in Curia Imperiali Spirensi secundum hanc opinionem judicari. Et meritò Fiscus enim generaliter succedit in bonis, quando legitimi defuncti: ita, ut quicquid ex ejusmodi defectu caducum est, in hoc quasi barathrum præcipitur. *Schneidvvin. l. 3. Inst. tt. 1. Gaill. l. 2. de pace publ. c. 14. num. 4. Tholoson. l. 23. c. 11. num. 7.* De successione illegitimorum vide, quæ diximus in parte 2. Titul. 4 §. 6.

Dub. 7. An, & quomodo propter negatas collectas, vel tributum bona reorum in Fiscum redigantur?

Resp. Illorum, qui censum, tributum, aut collectas Magistratui negant, aut cessant exhibere, bona subasta vendi, & fisco importari statuit Antonius Imperator. *l. 1. C. si propter public. pensationes. Silvest. v. Gabella §. 3. num. 26.*

De tempore difficultas est, an sufficiat unus annus, vel duo potius, aliudve tempus cessationis? variant enim plurimum Auctores apud *Menoch. Casu 55*. Sed *Baldi* opinio prævalet, arbitrio Judicis relinqui determinationem, à quo terminus assignatus, cum affluerit, licitum est Fisco manus injicere, capere, vel distrahere bona relinquentium. Ille igitur, ut conveniens videbitur, 10. 20. aut 30. dies pro termino constituere potest. Sed nunquid faciet absque monitione, & forma judicii? Minime, ne quemadmodum Fiscus, etiam Judex sine conscientia esse videatur.

DUB. 8. Quid juris habeat Fiscus in defunctos, non condemnatos?

Resp. Cum quis læsæ majestatis reus ante condemnationem moritur, Fisco permissum est, actionem instituere, ut rei memoria damnetur, & sibi bona applicentur. *l. fin. C. ad l. lul. majest. & l. fin. ff. eod. l. ex judiciorum de accus. Anto. peregrinus l. 4. de jure Fisci pag. 306. 310.* Amplia, ut quod de crimine læsæ majestatis dictum est, locum habeat etiam in hæresi. Nam in illa mortuos Fiscus persequitur, & bona illorum sibi vendicat. *c. accusatus. de heret. l. Manichæos C. eod.* non quod post mortem excommunicentur, sed quia declarantur, in vita meruisse pœnam excommunicationis, & confiscationis: quemadmodum latius explicat *Barb. in c. sanè profertur 24 q. 1.* In aliis omnibus delictis bona morte damnatorum non tantum ascendentibus, & descendentibus, sed etiam lateralibus hæredibus usque ad tertium gradum relinquuntur Fisco excluso *V. Anto. peregr. l. cit. V. Wesenb. l. 48. ff. tit. 10. Menoch. q. 93. Laym. l. 3. tr. 6. c. 5. n. 17.*

§. V.
De Exilio, & Banno.

I. EXILII & Banni pœna olim, ut nunc quoque frequens, proscriptionem seu ejectionem quandam significat, qua uno aliquo reus, aut pluribus annis abesse compellitur. A Marcello triplex ponitur. Velenim certorum locorum interdictio est, vel lata fuga, cum omnia loca vetantur, præter certum aliquem, vel denique insulæ vinculum, id est, in insulam relegatio. *l. exilium est 5 de interd. & releg. l. 48. ff. tit. 22. Barardus ad q. 71. Juli. Clari duo alia connumerat, condemnationem in metallum, & in opus metalli, de quorum differentia est *textus in lege Aur. damna §. Divi ff. de pœn.* Sed hæc minus propriè dicta acceptio est. Melius igitur dicemus, duo exilii genera esse, Deportationem, & Relegationem. Deportatio dicitur, quasi portatio de eo jure, quod quis habet in civitate ad exilium perpetuum, assignatâ illi provincia, ubi manendum sit: *l. inter pœnas ff. de interd. & releg.* libertatem tamen retinebat, ideoque capitis media diminutio censebatur. Per majorem enim servitus quoque addebatur. *Inst. de cap. dimin. §. minor. & l. ul. ff. eod. Silv. V. Bannum. num. 1.* A relegatione differt temporis diuturnitate, quia perpetua est, cum Relegatio certi temporis finem habeat. Præterea deportatio civitatem adimebat, Relegatio minime: item bona sua amittebat. Deportatus, relegatus è contra non amittebat. *l. relocator. ff. de interd. & releg.* Denique Deportatis certo spatio pœnæ locus circumscribitur: relegati exire tantum fines patriæ jubentur.*